

gii. Origenis. Ysidori. Hylarii. Ad di poterat Augustini, Haymonis et aliorum. Editionem hanc exceperere Noribergensis per Frisner et Sensenschmid 1478. f. Basileensis per Nic. Kessler 1486. f. et Parisina per Joan. Lodoicum pro Ponceto le Preux 1541. f. Auctores praecipuos, qui de Petro nostro tractarunt, habes in Hambergeri utilissimo opere: *Zuverlässige Nachrichten von den vornehmsten Schriftstellern* &c. P. IV. p. 224. Ad Novariam natum post alios adferit, sed *Lettere ragionate* 1775. Lucae editae *Lucensem* fuisse enixe contendunt.

XXXII.

950 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 133. in f. luculente scriptus, et praeter literas initiorum auro, coloribusque speciosas pluribus Iconibus deauratis, depictisque, rudioribus tamen, adornatus complectitur *Psalterium*, et alia, prout sequuntur. *Calendario* praevio praeter Signa Zodiaci, et Georgica adpicti sunt Apostoli, non tamen prorsus eo ordine, quo singulis mensibus festus cuivis dies agitur, mense item *Junio* Apostoli loco S. quidam Praeful comparet, quem ex habitu *Basilium* M. cenfeo, quamvis nomen ejus ad diem 14. defit. Nihil in hoc *Calendario* singulare, nisi quod ad diem 25. *Febr.* minio legas: *Aduentus S. Mauricii*; unde fortasse conjectes, *Codicem* nostrum olim ad Ecclesiam *Magdeburgensem* pertinuisse; narrat

enim *Ditmari Chronicon* T. I. *Rev. Brunsv. Leibnitii* p. 334. Adlata esse S. *Mauritii* reliquias *Otoni* I. Imp. *Ratisbona* a. 961. in *vigilia Nativitatis Domini*, ab eoque maximo honore *Parthenopolim* s. *Magdeburgum* transmissas, et unanimi indigenarum et comprovincialium ibidem conventu susceptas fuisse. Quod si inter adlata et transmissas intervallum aliquod temporis subponamus, quo in Coenobio *Bergensi* quievit, facile adtingetur exitus *Februarii*. Atqui transmissionem factam ejusmodi tempore docet *Drëfferus* cit. a *Papebrochio* in Annot. ad C. I. *Analector. Norbertin.* T. I. *Act. SS. Junii* p. 861. *Otto* I. imperator summo frigore nudis pedibus reliquias (Mauritii) ejus ex coenobio *Bergensi* S. *Benedicti* in eam (Ecclesiam) intulit, atque in summo altari reverenter deposuit. Confer *Acta SS. Septembr.* T. VI. p. 391. ubi tamen de *Commemoratione* nostra nihil reperi. Sequitur jam *Psalterium*, cui folium inter *Pfalm.* *Conserua me Domine* &c. et *Diligam te Domine* &c. excidit. Abest item *Pfalmus* integer CXVII. et fol. 66. post *Pfalm.* *Qui regis Israel* &c. interjectae sunt Orationes binae: *Deus qui de beate* &c. et: *Deus qui dedisti nobis famulis tuis* &c. de *Trinitate.* Fol. 115. p. 2. succedunt cetera *Cantica Biblica* cum Hymno *Te Deum*, Symbolo dicto *Athanasii* et *Litaniis* OO. SS. in quibus cum inter Confessores invocetur S. *Godehardus* Ep. *Hildesienfis*, qui in *Vita* apud *Leibnit.* T. I. *Rev.*

Rer. Brunsvic. p. 493. et 497. fummus D. *Mauritii* cultor fuisse dicitur, et a. 1026. in *Monte Specioso* ad *Hildesiam* Templum et Coenobium in ejusdem honorem condidit verisimiliter Martyris Reliquiis ditatum, probabilior evadit conjectura, *Codicem* ad illum S. *Mauritii Montem* referendum esse. Statuat Lector. Finem ei imponit Officium pro Defunctis.

XXXIII.

129
nunc
T.C.
3
Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 204. f. rudi scriptura exhibet *Psalterium Davidicum* cum *notis* interlinearibus et marginalibus. Praefatio incipit: *Circa materiam huius operis antequam ad materiam textus procedatur considerandum est de tribus Primo de titulo huius libri 2° de causis eius 3° de ipsius libri divisione &c.* Notulas suas ex *Glossa ordinaria* et *Nicolao de Lyra* potissimum decerpit ignotus Autor, quae in *Pf. I.* sic inchoant: *Iste est primus psalmus totius libri qui nullum habet titulum &c.* Psalmis itidem adjunxit reliqua Bibliorum *Cantica*, *Hymnum Ambrosii*, *Symbo-*

lum dictum *Athanasii*, *Orationem dominicam*, *Salutationem angelicam*, et *Symbolum Apostolorum*.

XXXIV. VII. F. 27

Codex membraneus lat. Sec. 455 XV. Folior. 124. 4. caractere missali eleganter exaratus rubricis variis et Literis initialibus per intervalla auro coloribusque picturatis conspicuus, est *Psalterium Davidicum*, adjunctis, ut solet, *Canticis Biblicis*, *Hymno Ambrosiano*, *Oratione Dominica*, *Symbolo Apostolorum* et *Athanasiano* vulgo dicto, inter quae *Symbola* interceptum est *Canticum Mariae* et *Simeonis*.

XXXV. VII. F. 28

Codex membraneus lat. Sec. 456 XV. Folior. 150. 4. caractere missali pereleganter scriptus, rubricis variis, et Literis initialibus per intervalla coloribus auroque fulgidus, est *Psalterium Davidicum*, quod excipiunt *Cantica Biblica* interjecto *Hymno Ambrosiano*, et accedente *Symbolo* dicto *Athanasiano*, ad cuius calcem haec minio et atramento alternant:

Et sic est finis laudetur omnium finis
Detur pro pennis scribenti vita perennis
Sunt tria vere que me faciunt sepe dolere
Primum restat durum quia scio me moriturum
Secundum timeo quia nescio ubi uel quando
Tercium deslebo quia nescio ubi manebo.

Frontispicium gentilitia duo Scuta exhibet, e quibus Possessorem

eruo. *Austriacum* dextram occupat, finistram *Leo Scoticus*. *Psalterium*